




Domus S.S·Adelhaidis et Caietani.

DISSERTATIO
LOGICA
DE
VALORE SENSUS COMMUNIS
NATURAE TANQUAM CRITERIO VERITATIS

AUCTORE.
BENEDICTO STATTLER
SS. THEOL. DOCT. ET PROCANCELLARIO UNIVERSITATIS ANGLIPOLITANAE.





Eustadii et Günzburgii
SUMTIBUS JOANNIS BAPTISTAE WIDENMANN
et Soc. Bibliop. 1780.

Scripta hæc ſunt ante tres annos ex occaſione propoſitæ Quæſtionis iſtius pro præmio ab Inſtituto Leidenſi Stolpiorum. Non nullæ diſſertationes ab aliis auctoribus de hoc eodem argumento poſthac editæ perſuaſerunt auctori, ut non inutilem fore iſtius ſcriptionis ſuæ editionem exiſtimaret.

Præſentem Diſputationem logicam de valore Senſus communis &c. D. D. Cenſores Epiſcopales non ſolum in nullo fidei aut morum articulo impingere, ſed profundiſſimam D. Authoris ſui in rebus philoſophicis doctrinam palam facere, adeoque & præmio, & prelo dignam eſſe judicarunt; quapropter eam typis vulgandi facultas Authoritate ordinaria conceditur.

Euſtadii die 12ma Martii. 1780.

Joannes Martinus Lehenbaur,
Vicar. in Spirit. General. Mppria.



Nemo omnes, omnes neminem fallunt.

SENECA.

Quaestio. Quodnam in adserenda Numinis existentia pretium statui debet communi humani generis consensui?

§. I.

De universis criteriis veritatis humanorum judiciorum Synopsis.

1.

V*eritas rerum*, quam *Metaphysicam* vocant, est non repugnantia notarum in uno eodemque ente. Contra si notae, quas compositione fictitiae imaginationis uni eidemque rei tribuimus, reipsa inter se aliqua contradictione repugnent, res vera tali conceptui non substat, sed *res mere idealis*, id est, talis, quae, quamdiu repugnantiam notarum illarum non adprehendimus, res vera in conceptu

mentis nobis adparet; etsi a parte rei non sit res ulla, seu possibilis, seu actu existens, cui omnes illæ notæ simul uni conveniant. Est nempe contradictio ipsa primus omnis distinctionis rerum character; atque idcirco id, quod contradictionem importat, per modum unius rei veræ non nisi in eo confuso conceptu adparere potest, in quo contradictio ipsa non discernitur. Sic *bircocervus* in distincta cognitione per modum unius objecti concipi non potest; quippe in qua hircus cervum negatione contradictoria a se excludere dignoscitur. At in confuso conceptu, in quo negatio ista in hirci notis (aut vicissim) non discernitur, per modum unius rei, sed mere idealem existentiam, in ipso nempe confuso conceptu, habentis, adprehendi poterit.

2.

Veritas logica actuum (seu repræsentationum) *mentis nostræ* est relatio similitudinis eorundem actuum mentis in repræsentando cum rebus repræsentatis (seu objectis) metaphysice veris (præc.) *Unde I. ad veritatem logicam actuum mentis universe tria requiruntur*, videlicet ipse *actus mentis*, *res repræsentata metaphysice vera*, seu objectum reale verum, & *utriusque similitudo*; actus quidem mentis in repræsentando, objecti realis veri in essendo. II. *Actus mentis carens objecto realiter vero ipse quidem est metaphysice verus*, id est, non repugnans, *attamen carens logica veritate reali.*

3.

Veritas logica actuum mentis ipsamet vel *realis* est, si illa tria §. præc. I. recensita actu dantur; *idealis*

idealis vero solummodo est, si ex tribus illis unum reipsa deficiat; quin iste defectus discernatur.

4.

Cum res universæ metaphysice veræ aut mere possibiles sint, aut actu existentes; sequitur, etiam *omnes actus & judicia mentis nostræ logice realiter vera aut circa res mere possibiles, aut circa res actu existentes, ceu objecta repræsentata, versari.* Unde qui de utrisque judiciis, nempe tam quæ circa mere possibilia, quam quæ circa res actu existentes, aliquid affirmant, vel negant, regulas complete & universe sufficientes dederit, per quas veritas logica realis a mere ideali veritate actuum mentis nostræ distincte & sine periculo erroris discerni queat, is completam demonstrandi artem dederit necesse est.

5.

Criteria veritatis logicæ realis voco notas actuum mentis humanæ, quæ sunt rationes sufficientes veritatis istius, quibus cognitis, & discretis, ipsam eorum veritatem logicam cognoscimus, & discernimus. Porro intuitus mentis, clare & distincte discernens criteria omnia completa, seu rationem sufficientem completam veritatis logicæ realis actuum mentis, *evidentia realis* appellatur. Unde *evidentia idealis* solummodo illa erit; si aliqua criteria veritatis prædictæ, sed adhuc incompleta, clare & distincte intueamur; defectum vero adhuc residuum unius non adprehendamus, nec ullo pacto discernamus.

 6. *Actus*

6.

Actus omnis repræsentationis mentis nostræ ex ideis, vel singularibus, vel universalibus seu *notionibus, subjecti vel prædicati*, ut vocamus, *vices agentibus, et ex affirmatione, vel negatione* unius ideæ, seu notionis, de altera, *id est, ex intuitu mutuæ continentiæ* omnium notarum unius in notis alterius, *vel* contradictionis & *exclusionis* notarum completarum unius ab altera, componitur. Experientia intima testis est.

7.

Ut igitur evidentia realis in mentis nostræ repræsentationibus & judiciis obtineatur, opus est, ut mens claro intuitu veritatem logicam tum idearum atque notionum subjecti & prædicati, tum affirmationis, vel negationis unius de altera, in judiciis discernat.

8.

Porro EXISTENTIAM RERUM *a mente distinctarum* PRAESENTEM actu *experimur sensu externo*; quatenus *ideas* earum, quas *sensuales* vocamus, ita in nobis exoriri percipimus, ut mentis intuitu in eas conjecto eas discernere quidem possimus; sed ut tamen adsint in mente ut plurimum; etsi nullum mens nostra in eas obtutum conjiciat. Inde vero, quod illæ ideæ valde variabiles in existendo sint, ac modo adsint, modo iterum evanescant ex mente; inprimis colligimus, I. *rationem existentiæ ultimam illarum idearum sensualium in mentis nostræ essentia, attributis, vel accidentibus intrinsecis, contineri non posse*: si enim in essentia vel attributis mentis contineretur, illæ ideæ, uti essen-

essentia ipsa mentis, sic & ipsæ invariabiles forent: in accidentibus autem, quæ ipsa variabilia sunt, ratio ultima nullius rei, saltem completa, inesse potest. Colligimus II. ex eo, quod mens nullam actionem immanentem propriam in ipsis ideis sensualibus, conjecto in eas sui ipsius intrinsecas modificationes intuitu, discernat (quam tamen semper discernit, cum ipsos istos intuitus & conscientias suas reflexo intuitu considerat) *mentem ipsam ne quidem immediatam caussam efficientem esse illarum idearum; sed eas ab alio ente extrinseco esse, quod ipsum* eo nomine *præsens nobis esse, & observari, dicimus*; quod ejus actionem in ipso effectu suo, nempe in ideis illis ab extrinseco ortis, experiamur; in quo ipso effectu, tanquam in rationato suo, entia extranea, ceu caussas illius, & rationes sufficientes existentiæ ejusdem, cognoscimus, & discernimus. Neque enim *entis nobis actu præsentis* nomine aliud concipimus, quam quod actu ratio sufficiens est existentiæ alicujus determinationis nobis intrinsecæ. III. Denique caussæ immediatæ efficienti ideas nostras sensuales plus non tribuimus, quam quantum virtutis efficientis in illis ideis, ceu effectibus, relucet. Itaque *ex ideis illis immediate aliud extra nos nihil, nisi corpora, concipimus, ceu caussas earum immediatas*, id est, talia composita materialia; quæ ex simplicibus substantiis denique coalescant, vi repulsiva & attractiva præditis. Atque ista ratio est, cur ex ideis sensualibus non-*immediate* existere seu Deum, seu alium DEO inferiorem spiritum, colligamus; quia videlicet, etsi DEUS, vel alius etiam spiritus inferior, easdem ideas *immediate* in mente nostra fortassis efficere possit; tamen in illis efficiendis non virtutem spiritualem proprie dictam, sed virtutem soli materiæ

propriam, in mentem noſtram exerceret: non eſt autem cauſſæ *immediatæ* efficienti plus tribuendum virtutis; quam quantum ex ipſo effectu relucet, ceu ex rationato ſuo. Atque *iſte præciſe modus eſt, quo in cognitionem exiſtentiæ corporum extraneorum & totius mundi corporei ſimpliciter pervenimus; ex quo ipſo tamen ulterius ad cauſſam ipſius mundi corporei ultimam progredimur.*

* Conceſſit Ill. Wolfius, (Leibnitio præeunte) nos experiri præſentem exiſtentiam corporum; negavit tamen, nos experiri ullo externo ſenſu eorum influxum in corpus noſtrum, & hoc mediante in animam; voluitque, nos ſolum experiri tum idearum ſenſualium, tum utriusque motus, tam noſtri, quam aliorum corporum, coëxiſtentiam. At enimvero fefellit & ſe illuſtris Philoſophus, & plerosque alios ſecum in errorem traxit: ſiquidem influxum extranei entis in animam noſtram intuitu proprio certiſſime in ideis ſenſualibus experimur eo modo, quo cadere is, ſi actu detur, ſub experientiam noſtram præciſe poſſet, & deberet. Cum enim mens intuitu ſuo immediate nihil intueri (ac proin *experiri*) poſſit, niſi quod in ipſa ut ſubjecto ineſt: idcirco non illud *immediate* experiri ac intueri poteſt, quod in ente extraneo, ſeu corpore influente, ceu ratio ſufficiens exiſtentiæ idearum ſenſualium ineſt, ac ratione cujus corpora *agere in animam* dicuntur; ſed illud ſolummodo, quod *ceu actionis* iſtius *extraneæ effectus* in mente ipſa exoritur atque ineſſe de novo incipit. Quodſi tamen *in* iſto novo in ſe exorto *effectu* mens proprio intuitu detegat & experiatur, illum & variabilem, nec immediata ſua ipſius actione in ſe exortum eſſe; experitur hoc ipſo, illas ideas

& novos in se exortos effectus esse ab ente extraneo, tanquam a caussa *immediata* æque ac *ultima;* sive jam idem numero ens extraneum sit utraque hæc caussa, sive corpora extranea sint immediata solum caussa efficiens, DEUS autem aliquis existat ceu ratio omnium ultima. Interim de caussa immediata plus sub experientiam mentis haud cadit, quam virtus corporea; qualis sola præcise in effectu relucet.

9.

Existentiam præsentem tum mentis nostræ ipsius, tum mutationum eiusdem, *tunc primum cognoscimus; cum sensatione intima conscientias nostras de rebus extraneis sensibilibus reflexe intuemur, & ut proprias mentis nostræ actiones discernimus.* Dum enim cogitamus, nos cogitare; eo ipso existere nos adpercipimus.

10.

Existentiam praeteritam rerum a mente extranearum *recognoscimus, dum conscientias de illis olim præsentibus habitas, & nunc a phantasia secundum propriam sibi legem reproductas, nos jam olim de rebus eisdem ut præsentibus habuisse exinde recognoscimus; quod easdem secundum omnes sui partes, quin & ex ipsarum occasione etiam aliorum objectorum, nunc omnino absentium, conscientias cum certa aliqua facilitate reproducamus; qualis facilitas in prima earum efformatione non suppetebat; quippe in qua ex intuitu idearum & objectorum primum valde confuso non nisi ope reflexionis claræ & distinctæ conscientiæ de illarum partibus singulis seorsum formari, atque aliqua iterata repetitione cujusque singularum partium singularis intuitus primum illa acquiri facilitas reproductionis prædictæ debebat.* Unde *ex ipsa facilitate reproductionis claræ ac distinctæ conscientiæ*

tiæ recognoſcere cum certitudine ſolemus, nos tales conſcientias jam olim habuiſſe, & cum hac quidem ſerie ſucceſſiva, vel ſimultanea.

* Phantaſiam non ipſas ideas ſenſuales, ſed ſolum conſcientias ſuper ipſis attentione partium ſingularium obiecti & reflexione formatas, reproducere, exinde patet; quod, ſi, e. gr. palatium, vel hortum olim ingreſſi, in aliquas totalis ideæ ſenſualis, per apertos oculos receptæ, partes nullum omnino mentis intuitum coniecerimus; poſtmodum phantaſia, etſi ceterarum conſcientias reproducat, quibus attentionem aliquando affiximus, tamen illarum, quas non adpercepimus unquam, nec ullam ideam ſeu repræſentationem reproducat, cujus intuitu earum nunc formare conſcientiam poſſimus; utcunque diu in eodem palatio, vel horto, verſati fuerimus. *Neque dicas:* obſcuras nimis eſſe ideas illarum partium, quam ut diſcerni poſſint. *Nam* tunc certe, cum præſens aderas in palatio, tam vivaces & claræ eſſe potuerunt, ut obtutu mentis in eas defixo, eas facillime diſcerneres. Si ergo nunc reproducuntur a phantaſia, quales tunc fuere; ſicuti conſcientiæ ab eadem tales reproducuntur; quales tunc erant; etiam nunc mens ideas illas obtutu in eas defixo diſcernere poſſet. *Neque rurſum opponas:* etiam conſcientias obſcuriores reproduci; quam ex rei præſentis intuitu primo formabantur. *Nam primo* reproducuntur ſaltem tam clare, ut proximo quoque tempore, poſtquam e. gr. egreſſi ſumus, ſatis vivaces appareant; etſi decurſu temporis partem vivacitatis obliteratione quadam amittant: e contra tota illa lux idearum ſenſualium momento poſt ablatum ex oculis obiectum prius corporeum evaneſcit. *Deinde* quod conſcientiæ rerum corporearum reproductæ a phantaſia univerſe obſcuriores videan-

deantur, quam apparebant tunc, cum primo super præsente obiecto corporeo formabantur; haud dubie illud ipsum in caussa est, quod illa ipsa illustris species ideæ sensualis, a luce, colore, sono, odore &c. præsente menti impressa, deinceps in reproductione phantastica a conscientiis obiectorum sensibilium absit, istæque solæ a phantasia, non item illa, reproducantur. Quod ipsum novum argumentum est, species illas sensualium idearum ab actione extranea corporum nasci, & conservari, qua durante durant, qua finiente, continuo & ipsæ penitus finiuntur.

** III. Wolfius, quod *ideas* ab *adperceptionibus* seu obtutibus animæ, qui conscientias pariunt, non distinxerit; etiam in conceptu *memoriæ*, id est, cognitionis existentiæ rerum præteritarum, a vero aberravit, docens: ex eo mentem recognoscere cogitationes jam olim habitas, *quod rei idea nunc iterum obveniens excitare in nobis ideas rerum nunc absentium advertatur, quarum & ipsa membrum fit.* Ut errorem certo cognoscas; quæro primum: quo ex indicio mens cognoscat, ideas istas ab idea rei nunc obvenientis excitatas esse *absentium* potius rerum, quam præsentium, ideas, prima vice a se acceptas. Cum enim anima circa solas ideas rerum sensibilium obtutu suæ conscientiæ versans ne quidem de semet ipsa adhuc cogitet, nec sui sibi conscia sit; quo pacto ex solo earundem reproductarum idearum sensualium intuitu recognoscere poterit, *se* jam illas habuisse? At contra in conscientia, ceu actione propria, primæ & secundæ productionis discrimen, ex diversa facilitate ortum, sensu intimo necessario advertit. *Deinde* quæro ulterius: siquis velo obductis oculis in aulam solus introducatur, in qua

solus



solus item olim diversatus fuerat; nonne reducto velo mox visam a se jam ante aulam istam recognoscet? Atqui hic ideae rerum absentium ut interveniant necesse non est: phantasticae autem ideae (si hae aliud non sunt, quam ipsae pristinae sensuales de aula jam olim habitae, & a phantasia reproductae) profecto hoc in casu cum sensualibus actu praesentibus ideis ejusdem aulae confundi plane debebunt. Unde ergo talis homo recognoscet, eandem aulam jam a se visam, nisi ex facilitate, qua singulas aulae partes recurrentibus pristinis conscientiis sine omni nova reflexione, aut singulari attentionis & mutuae comparationis conatu, discernere, & earum singulares conscientias efformare se experitur, & intime sentit? Solus ergo iste genuinus memoriae rerum praeteritarum, propria experientia perceptarum, conceptus est.

*** Ceterum quod hic de memoria rerum praeteritarum, quae extra mentem sunt, diximus; *idem adcommode valet de* MEMORIA MUTATIONUM PRAETERITARUM IPSIUS MENTIS NOSTRAE; quas ipsas olim in mente nostra evenisse ex simili facilitate reproductionis sensationum intimarum, olim de eis praesentibus habitarum, recognoscimus.

II.

EXISTENTIAM FUTURAM SEU RERUM EXTRA NOS, SEU MUTATIONUM MENTIS IPSIUS, *praevidemus ope memoriae de uniformi experientia praeterita; qua semper ex similibus iisdemque prorsus antecedentibus similia eademque consequi nos expertos esse meminimus: unde fit, ut, cum eadem prorsus nunc iterum adesse antecedentia aliquando, vel alicubi, observamus, eadem ex eis consequentia exti-*

tura

tura expectemus, cum certitudine quidem, id est, cum firma & secura prorsus expectatione; si memoria uniformem prorsus præteritam nostram (imo & aliorum hominum) constanterque eandem experientiam præteritam nobis suggerit; cum probabilitate contra vel incertitudine, majore, vel minore; pro eo atque magis minusve uniformem, non tamen constanter eandem experientiam nos habuisse olim, meminimus.

12.

I. *In universa itaque nostra de rerum existentia cognitione hic ordo, & quidem necessario, intercedit, ut primo res externas corporeas actu præsentes ope sensus externi cognoscamus; inde vero sensatione reflexa in hanc nostram de illis cogitationem nos ipsos, id est, mentem nostram itidem in præsens existere advertamus: tum vero post tempus ope memoriæ nos res prædictas externas sensibiles, atque etiam proprias de illis conscientias, ceu mentis ipsius mutationes, reflexa sensatione præsentes olim habuisse, adeoque præteritas illas esse, recordemur: ac denique ut frequentius recurrente eadem uniformi experientia præsente eorundem sese antecedentium & se consequentium, deinceps ex præsentibus actu antecedentibus similibus eadem futura consequentia prævideamus.*

II. *Omnis ergo nostra de rerum existentiis cognitio a sensu externo incipit; nec quid ipsi præteritum meminisse* EX PROPRIA NOTITIA (quæ hic alienæ auctoritati opponitur) *possumus, nec futurum prævidere; nisi quod ipsi præsens aut sensu externo in rebus extraneis, aut sensatione intima & reflexa in mente nostra propria, experti sumus.*

13. Quo-

13.

Quoniam in rebus actu existentibus nihil indeterminatum esse potest; quod autem omnimodis determinatum est, res singularis est: idcirco *primæ nostræ de rebus existentibus cognitiones rerum singularium actu nobis præsentium cognitiones sunt*. (præc. 11.)

14.

Primæ nostræ cognitiones rerum singularium actu nobis præsentium conceptus earum admodum compositos (id est, ex determinationibus plurimis, realiter, aut formaliter distinctis, constantes) *nobis offerunt*. De conceptibus rerum corporearum, sensu externo acceptis, id inprimis ipsa experientia constat ex divisibilitate summa minimæ cujusque moleculæ sensibilis corporeæ, quam tum microscopiis, tum aliis modis detegimus. De ipsis sensationibus intimis, quibus mens tum suarum mutationum, tum sui ipsius existentiam præsentem adpercipit, constat, quod mens in his ipsis suis singulis mutationibus, ceu sensu externo primum exortis, tot pæne notas diversas ac determinationes discernat; quot sunt in ipsis objectis sensibilibus, quæ mens primis conceptibus & cogitationibus directis adpercipit. Sic si cogito, me cogitare de corpore humano, cogito, me cogitare de capite, cogito, me cogitare de pectore, manibus &c. &c. *Denique* cum primi nostri conceptus de rebus existentibus singularibus, (12. 11. 13.); res singulares vero omnimodis determinatæ sint: necesse est, ut proprii illarum conceptus itidem ex plurium determinationum simultanea repræsentatione componantur.

15. *Ideas*

15.

Ideas rerum ſingularium exiſtentium, ſenſu externo & intimo primum acceptas, ceu compoſitas (præc.), *abſtractionis analyſi in plures ſimpliciores reſolvimus*, ac ſingulas partiales ſeorſim abſtractas ideas propriis terminis ſeu nominibus deſignamus; idque eum in uſum, ut propriis his nominibus earum auditis, vel lectis, ſecundum phantaſiæ legem etiam ſimpliciores illæ ideæ abſtractæ ſeorſim (ſine integra compoſita, ex qua illa abſtractione avulſa veluti ac efformata eſt) in mente reproduci deinceps queant. Sic ex intuitu compoſiti *nummi aurei* ábſtrahimus conceptum partialem ſimpliciorem *rei extenſæ*, *coloratæ*, *ſolidæ*, *circulari figura præditæ &c.*

16.

Exoritur vero *omnis compoſitio conceptuum* ſeu idearum noſtrarum *de rebus ſingularibus vel* 1.) *ex conjunctione plurium ſubſtantiarum*, ut in conceptu corporis humani: *vel* 2.) *coniunctione plurium notarum eſſentialium in una eademque ſubſtantia; vel* 3.) *ex conjunctione plurium attributorum*, vel 4.) *modorum*, vel 5.) *relationum* cum eſſentialibus notis: præter hæc enim in ente quocunque, ſimplice, vel compoſito, aliud non ineſt. Itaque pariter *omnis analyſis idearum de rebus ſingularibus quinque abſtractionum modis abſolvitur: cum nempe vel* 1.) *ſubſtantia una ab aliis ſubſtantiis* ideam eandem componentibus, e. gr. caput, manus, pes, a corpore humano, *vel* 2.) *una*, *aut omnes eſſentiales notæ ab aliis eſſentialibus*, *aut non eſſentialibus*, uti animal a rationali in homine &c.; *vel* 3.) *attributum*, ſeu proprium, ſeu commune,

ab essentialibus, *vel aliis attributis*, e. gr. capacitas eruditionis in homine, *vel* 4.) *modus* a notis invariabilibus, uti eruditio in homine, vel 5.) *relatio a quibuscunque aliis notis*, uti e. gr. similitudo formæ, abstrahitur.

17.

Per hos ipsos quinque abstractionum modos 1.) formantur *omnes notiones universales*, seu *generum*, si notæ essentiales communes a differentialibus, seu *specierum*, si omnes essentiales reliquæ ab individuali, seu *differentiarum*, seu *attributorum*, seu *accidentium* &c.; si istiusmodi notæ a ceteris abstractæ, & tanquam pluribus rebus communes concipiantur, in quibus eas inesse experientia didicimus. 2.) Eodem modo formantur omnes aliæ simplicissimæ ideæ, e. gr. attributa generis supremi *entis;* quæ sunt *veritas*, seu cognoscibilitas, *possibilitas*, *unitas*, *bonitas* &c. &c. 3.) Hic ipse modus est formandi omnes ideas ceteras ontologicas *essentiæ*, *substantiæ*, *attributi*, *accidentis*, *relationis*, *necessarii*, *contingentis*, *simplicis*, *compositi*, *caussæ*, *effectus* &c. prout nempe reflexio, quæ abstractionem semper præcedit, plures semper notas diversas in comparatione rerum discernendo novis abstractionibus simpliciorum idearum viam sternit.

18.

Quemadmodum abstractionis ope ideas compositas in simplices resolvimus; ita vicissim simplices ideas, abstractione obtentas, per facultatem fingendi combinatoriam, quæ menti nostræ inest, varie pro arbitratu componimus, variis eas determi-

determinationibus jungendo, quas ſeu ab eadem re, a qua ipſas, ſeu a rebus aliis diſtinctis, diverſisque, antea itidem abſtraxeramus. Vocatur hæc compoſitio vulgo *determinatio idearum;* quia prius idea ſimplicior abſtracta ſecundum novas illas determinationes veluti adhuc indeterminata concipiebatur, id eſt, neque eas complectens, neque excludens.

19.

Quodſi itaque ideas mere poſitivas ſimpliciores per ideas (ſeu determinationes) alias rurſus mere poſitivas determinemus; *ideæ compoſitæ mere poſitivæ* in nobis oriuntur: ſi eaſdem ideas ſimpliciores mere poſitivas determinamus per ideas ſeu determinationes novas negativas, orientur *ideæ compoſitæ, partim poſitivæ, partim negativæ.* At vero ſi idea aliqua poſitiva, jam ex parte compoſita, ſed adhuc confuſa, ulterius determinetur per ideam ſeu determinationem negativam, alicui ex illis ipſis determinationibus poſitivis contradictoriam, quas idea poſitiva ſimplicior confuſas inter ſe exhibet; *vel* ſi idea jam ex parte negativa, ſed item confuſa, determinetur per ideam poſitivam, quæ exhibeat realitatem negationi eidem contradictoriam, quæ in priore confuſe ſolum exhibetur, nec diſcernitur; orietur *idea deceptrix*, id eſt, talis, quæ ob contradictionem determinationum, ex quibus componitur, objectum poſſibile non repræſentat; attamen, quia determinationes contradictoriæ, ex quibus componitur, ob confuſionem idearum componentium non diſcernuntur, objectum poſſibile repræſentare videtur, ac proinde menti noſtræ illudit.

 Exem-



* Exemplum esto *idea trianguli* satis simplex, seu *spatium tribus lineis comprehensum*. Idea hæc varie jam est determinata, nempe quoad numerum linearum, & angulorum, & rationem spatii corporei seu realis: sed indeterminata adhuc est quoad qualitatem & quantitatem linearum & angulorum, a qua utraque adhuc abstrahit, an nempe lineæ sint rectæ, vel curvæ; an omnes anguli æquales, vel inæquales? Determinari ergo prior illa idea potest, concipiendo *triangulum rectilineum*, *non rectilineum*, *rectangulum*, *æquiangulum*, *æquilaterum*, *non æquilaterum*; & hæ omnes magis determinatæ & compositæ ideæ erunt possibiles. At si concipias *triangulum rectilineum duos angulos ex tribus rectos habens*; ideæ trianguli rectilinei simpliciori, negatione a se reipsa excludenti duos rectos angulos ex tribus, junges contradictoriam notam duorum rectorum angulorum; orieturque idea rei impossibilis; quæ, si tu ita confusam trianguli rectilinei ideam habeas, ut contradictionem duorum angulorum rectorum cum ejus notis non discernas, erit reipsa idea *deceptrix*, rei possibilis specie tibi imponens. Aliud exemplum habes in idea *spiritus compositi*, *seu materialis*.

20.

Ideæ seu conceptus mentis, quæ per abstractionem & determinationem (15. 19) id est, per analysin & synthesin, a mente ipsa formantur, vocari solent *ideæ factitiæ*; eo quod mens nostra ex iis, quas solo recto usu sensuum ope attentionis & reflexionis obtinuit, propria actione eas sibi effingat. Illæ vero ideæ, quas mens aliunde potius, seu a caussa extranea, immediate obtinet; quin eas semper habuerit; *ideæ adventitiæ* dicuntur. *Ideæ innatæ*

innatæ demum vocarentur, si quæ menti inessent sic congenitæ ideæ, ut eas nec aliunde post primum, quam jam aliquamdiu extiterat, obtinuisset, nec ipsa primum ex aliis præexistentibus in se ideis eas formaret, sed sibi inde a principio suæ existentiæ, ac deinceps constanter, seu vi essentiæ, seu unde unde demum, continuo inditas haberet: etsi non continuo de illis actu cogitaret.

21.

Cum *mens sensu intimo* ad suos actus proprios, ceu intime sibi præsentes, attendit; *conscia fit, se esse substantiam spiritualem*, seu vim constantem cognoscendi & volendi, simulque variabilem per diversas cogitationes & volitiones. Unde idearum vices, quas mens ipsa de se sibi reflexe intuenti repræsentat, sunt ipsimet ejus actus immanentes (qui & objecti simul & ideæ sui ipsorum rationem respectu intuitus reflexi in eosdem habent) atque mens ipsa sub suis actibus, ceu illorum subjectum, veluti latens, ac per eos cognoscibilis. Unde & hos actus suos, atque una se ipsam eo distinctius completiusque discernit; quo majore studio supra illos intime sibi præsentes reflectit. *Mens ergo humana ideas seu conceptus omnes de se ipsa suisque actibus unice reflexione sensus intimi super eisdem sibi intime præsentibus acquirit.*

22.

Porro quoniam actus mentis propriæ, tam cognitiones, quam volitiones (quoad habent rationem objecti simul, & ideæ sui ipsius respectu sensus intimi) etiam ipsi saltem metaphysice compositi sunt; quatenus scilicet in totali cogitatione & vo-

 litione

litione objecti compositi etiam partiales cogitationes & volitiones plures mente distingui possunt; imo quoniam etiam plures simpliciores cogitationes (id est, de simplicioribus objectis) in unam componi juxta atque ideæ (19.) possunt: idcirco mens eodem modo novas cogitationes seu ideas factitias (21.) de spiritibus se ipsa nobilioribus, id est, plura simul perfectius, & facilius, cognoscere valentibus &c., imo etiam conceptum de spiritu infinite perfecto, id est, omnia cognoscibilia per conceptus (seu ideas) adæquatos simul & semel cognoscente, id est, de DEO ipso, tum abstractione perfectionum cogitationis propriæ ab ejusdem imperfectionibus, tum compositione omnium perfectionum pure talium in cognitione una compossibilium, formare potest. Itaque *mens humana etiam aliorum spirituum, atque ipsius DEI, conceptus sive ideas non innatas habet, sed factitias, seu proprio marte formatas* (21.).

23.

Huc usque originem omnium idearum seu conceptuum mentis, tum singularium & existentium rerum, tum universalium & mere possibilium, ostendimus. Jam vero *mens conceptus* istos, seu ideas, *tum singulares cum singularibus, tum universales cum aliis universalibus, tum denique etiam universales cum singularibus, & vicissim, comparando*, nunc in duabus illarum mutuam, aut non mutuam, perfectam convenientiam, seu continentiam omnium notarum unius in altera detegit; nunc disconvenientiam, seu contradictionem unius adversus alteram, seu mutuam exclusionem: & in primo casu *mens judicio immediato unam ideam*

(seu

(ſeu conceptum) *affirmat de altera; in caſu altero unam de altera negat.*

24.

Cum vero ſola immediata duarum idearum, conceptuum, ſeu notionum, mutua comparatione mutuam convenientiam, vel contradictionem earundem, diſcernere ob defectum claritatis ſufficientis *mens noſtra* haud poteſt; tunc *tertiam ideam*, ſeu conceptum, *in ſubſidium vocat*, &, ſi expendendo duas illas ad hanc tertiam advertat, in prima contineri ſecundam, & in hac ſecunda tertiam, *infert judicio mediato*, ut vocamus (ob intermediam nempe tertiam ideam), *etiam tertiam in prima contineri, ſeu illam de iſta affirmat:* ſi vero advertat in prima contineri alteram, & ab hac altera tertiam excludi; *judicio mediato concludit, etiam a prima tertiam excludi, id eſt, de prima tertiam negat.*

25.

Denique *cum uno ratiocinio ſimplici ad intuitum mutuæ convenientiæ, vel contradictionis, duarum idearum, conceptuum, ſeu notionum, non pervenimus, id evincimus plura ratiocinia* ſic *connectendo*, ut primi concluſio fiat præmiſſa ſequentis, & nova idea ſeu termino tertio aliunde aſſumto, & alterutri ex duobus terminis concluſionis primæ applicato, hujus ad illum comparatione novam formemus ſecundi ratiocinii concluſionem; atque ita porro pergamus connectere tertium ratiocinium; *donec ad concluſionem perveniamus quæſitam.*

26.

Et huc usque quidem enumerata sunt criteria nobis intrinseca, id est, per quæ PROPRII VI ACUMINIS & intellectus rationes sufficientes veritatum tum de rebus existentibus, tum possibilibus, perspicere solemus. *Cum* vero *proprio acumine & intellectu ipsi perspicere veritatem aliquam immediate nullo modo possumus*, *sæpe eandem ex aliorum testimonio authentico comperimus.* Est vero veritatis cujuscunque, sive de possibilibus, sive de existentibus rebus, *testimonium authenticum*, quod notas seu indicia sufficentia habet, quod is, qui testimonium illud fert, & veritatem ipse perspectam habeat, & veraciter nobis manifestet. Porro cum notitia veritatis in teste, & sinceritas in ea manifestanda, rursus immediate in se ipsa sub oculos nostri intellectus nullo pacto cadere possit; *eam ipsam* utramque *ex talibus signis seu effectibus sub sensuum externorum experientiam cadentibus inferimus*, *de quibus experientiam præteritam uniformem tum propriam habemus* (11.), *tum consentientem omnium aliorum experientiam esse novimus*, *quod semper cum notitia veritatis & veracitate in testibus conjuncta fuerint:* quæ uniformitas experientiæ quo major, quo pluries multiplicatis experientiis sine exceptione communis est, eo major *erit certitudo de veritate & authentia testimonii*; * *nunc* quidem *solum moralis*, si rarissima fuisse exceptio noscitur; *nunc physica* omnino, si nulla comperta sit post innumeras experientias uniformes exceptio: *siquidem* etiam *de existentia testimonii*, ceu facto, *pari gradu certitudinis* ex aliquo ex huc usque memoratis criteriis item *constet.*

* I. *De existentia ergo testimonii authentici, ceu facto præsente,*

præsente, menti quidem nostræ extraneo, ultimato & immediate per sensus externos notitiam acquirimus, vel per alium testem mediatum; cujus tamen testimonium saltem denique per sensum externum ipsi comperimus (8.) II. *De authentia vero testimonii notitiam acquirimus*, ceu de qualitate simili futuri facti, *per uniformem experientiam præteritam, phantasiæ lege reproductam, & ad similem authentiam expectandam nos pro gradu suæ uniformis multitudinis inclinantem* (11.) III. *Ipsa vera authentia testimonii sic perspecta movet nos ad assensum de veritate rei contestatæ*: qui assensus, cum non ipsa perspecta intrinseca ratione sufficiente veritatis judicii nostri nitatur, sed solum extrinseca eidem auctoritate, *fides* vocatur, qua scilicet alteri, securi de errore, judicium nostrum conformamus. Principia hoc §o. obiter indicata de fundamento moralis & quandoque physicæ certitudinis testimonii humanæ auctoritatis uberius a me demonstrata vide in Dem. Evang. Cap. V. Artic. I. §. II.

27.

I. *Habemus ergo inprimis de existentia rerum, seu veritatibus facti, universe criteria quinque*, videlicet 1.) *de existentia præsente rerum externarum* SENSUM EXTERNUM PROPRIUM, & AUCTORITATEM TESTIMONII ALIENI (§. 27.); 2.) *de præsente existentia rerum in nostra mente* propria SENSUM INTIMUM (9.); 3.) *de existentia præterita rerum quarumcunque* MEMORIAM PROPRIAM (10.); & ALIENI TESTIMONII AUCTORITATEM (27.); 4.) *de existentia futura rerum* EXPERIENTIAE UNIFORMIS PRAETERITAE PROPRIAE MEMORIAM, & AUCTORITATEM ALIENI TESTIMONII; ut

 adeo

adeo 5.) *auctoritas alieni testimonii universe quintum criterium factorum* conficiat.

28.

II. Porro *de qualitate rerum existentium*, jam ex suis criteriis existentiæ cognitarum, *judicamus per judicia vel immediata, vel mediata, aut ratiocinia concatenata* (24. 25. 26.), *vel ex testimonio authentico alieno, ceu per criteria quatuor diversa.*

29.

III. *Per eadem ipsa quatuor criteria* (præc.) *judicamus de qualitate possibilium qua talium universe, præmissa semel loco subjecti notione eorundem, seu definitione nominali, bujusque reali veritate, seu possibilitate objecti illius, rite prius ostensa* (2. & 3.).

30.

Datur vero adhuc alius modus, omnibus hominibus communis, judicandi, non quidem vulgo de absoluta existentia rerum, sed communiter solum de qualitate tum rerum existentium, tum possibilium, nullo suppetente ex prædictis quatuor criteriis (29. 30.), id est, nec distincto intuitu immediato, nec mediato, per ratiocinia distincta, simplicia, vel concatenata, nec testimonii alicujus movente auctoritate, sed unice ex confusis conceptibus subjecti & prædicati cuique obviis, quos de rebus existentibus singularibus usu sensuum externorum accepimus, de rebus autem mere possibilibus abstractione, vel compositione ac determinatione formavimus (15. 19.), unum de altero affirmando, vel negando; quin distincte convenientiam, vel contradictionem, unius ad alterum discerna-

cernamus; atque id genus judicium *ſenſus naturæ communis* vulgo appellari ſolet.

* Dixi ſenſus communis judicia *vulgo* eſſe ſolum de qualitate rerum ſeu jam exiſtentium, ſeu mere poſſibilium, non de exiſtentia. De ſolius *DEI exiſtentia* etiam ſenſus communis judicium habemus: ſed eo judicio exiſtentiam DEI ceu qualitatem DEI, pro ſubjećto interim mere poſſibili aſſumti, enuntiamus, ceu ex ipſa ejus notione cognitam & perſpećtam: nec aliud ullum judicium ſenſui communi proprium extat, quo de exiſtentia rerum judicetur.

** Dixi porro: *judicia ſenſui naturæ communi propria neque niti diſtinćto intuitu, immediato, vel mediato* (una tertia, vel quarta idea mediante, in ſimplici, vel concatenato ratiocinio) *mutuæ convenientiæ, vel contradićtionis ſubjećti & prædicati;* talis enim intuitus evidentiam immediatam, vel mediatam, veramque demonſtrationem rationis conficit: *nec teſtimonii aućtoritate utcunque ſufficiente;* ſic enim a fidei aſſenſu non differret. Sed *neque nititur experientia præſente ſenſus externi, vel intimi;* ſecus de exiſtentia rerum ſingularium enuntiaret: *neque experientia præterita, ſimplici, vel multiplici & uniformi;* ob eandem rationem. Proinde abs dubio modum judicandi ſenſus naturæ communis proprium, peculiarem, & ab omni alio criterio ſejunćtum, diverſumque conficit.

31.

Dantur paſſim in hominibus judicia ſenſi naturæ communi propria. Ut certitudinem, imo evidentiam iſtius theſis prorſus evincam, adnoto primum: hæc ipſa judicia eſſe fаćta exiſtentia, ac proinde

inde eorum ceu rerum singularium existentiam tum sensus externi experientia de signis certissimis existentiæ illorum in aliis hominibus, tum sensatione intima de illorum existentia in nobismet ipsis, compertam unice haberi posse. Atqui revera experientiam talem externam de aliis passim hominibus, tum vero experientiam intimam de nobis ipsis habemus, quod easdem veritates, ad qualitates rerum, tum existentium, tum mere possibilium, spectantes, quas summi demum Mathematici, Physici, Theologi, Jurisperiti, atque Medici, propriis ex criteriis intrinsecis (29. 30.) soli vere demonstrare sciunt, quasque ipsi nos primum multo studio & reflexione demonstrare posteriore vitæ nostræ tempore didicimus, quod, inquam, plurimas ex istis veritatibus, sine institutione alicujus hominis, vel certe non innixi præcise alieni testimonii auctoritati, & alii, & nos ipsi, jam ex solis confusis notionibus subjecti & prædicati perspectas habuerimus, & affirmate tenuerimus. Enimvero quis negabit, etiam veteribus Philosophis plurimas veritates tum de qualitate naturali rerum existentium in hoc mundo, tum de qualitate morali actionum humanarum perspectas fuisse? Atqui tamen an eisdem compertas fuisse credemus eas demonstrationes, quas in hodierna Metaphysica atque Ethica, & in Jure Naturæ, de eisdem veritatibus plena cum evidentia proponi in optimis quibusque de hoc argumento libris videmus? Pridem cognitum sensu naturæ est, *inhonestum esse*, *inimicos odisse*, atque alio, quam præcise defensionis necessariæ studio, atque limite præscripto, persequi, eorumque malis delectari. At quis veritatem istam ante nostrum hoc seculum plane demonstravit ex distinctis notionibus istius ipsius actionis & moralis honestatis theologicæ?

Idem

Idem *de plerisque aliis vitiis & virtutibus* dici poteſt; quorum diverſam moralitatem profecto ſi omnes ſola demonſtratione, & judiciis diſtinctis, immediatis, vel mediatis, cognoſcere poſſent; næ paucos numeraremus, qui inter bonum & malum morale in particulari diſcernere valerent. Experientia ergo intima evidens eſt, dari in nobis ipſis judicia ſenſus naturæ communis propria.

* *Joannes Lockius* in L. I. Tentam. de Intell. c. 3. *Joannes Clericus* in Pneumatol. Sect. I. C. 5. §. 16. *Chriſtianus Thomaſius* in Proœm. ad Inſtit. Jurisprud. div. & Introduct. ad Philoſ. Aul. c. 5. §. 35., aliique viri maximi Senſum communem naturæ a numero criteriorum veritatis excluſere, nec niſi pro ignorantiæ aſylo habendum graviter edixere. At enim non putem ego, viros hos ſummos ipſam exiſtentiam ſenſus naturæ communis, atque judiciorum eidem vere propriorum, negare voluiſſe; vel certe fatendum eſt, illos diſtinctiore iſtius naturalis facultatis notitia caruiſſe. Credam equidem, illos aliud non voluiſſe, quam ut turpitudinem illam doctis hominibus perſuaderent, qua olim paſſim etiam ſcientiarum doctores in ſolo argumento ex communi naturæ ſenſu petito nimis facile acquieſcebant; quin & multa alia infantiæ reipſa præjudicia hoc ſenſus naturæ nomine inani excuſabant, ſollertioris veritatis indaginis ſubinde pertæſi.

32.

Aſſenſus judiciorum, ſenſus naturæ communis propriorum, nequaquam pari neceſſitate in nobis exoritur, ſicuti in judiciis immediatis, & mediatis, evidenti intuitui innixis; ſed potius liberi arbitrii Imperio

imperio ſubjacet, ut exiſtat, vel non exiſtat. Sola enim ratio ſufficiens veritatis realis diſtincte cognita intellectum rapit ad aſſenſum. Atqui in judiciis ſenſu communi naturæ notis non diſtincte cognoſcitur ratio ſufficiens illa veritatis realis, ſed ſolum ex confuſis ſubjecti & prædicati notionibus judicatur (31.). Ergo ſemper liberum manet, dare aſſenſum ob ipſum ſenſus communis naturæ obſcuram perſuaſionem, vel ſuſpendere aſſenſum ſimpliciter ob cognitum defectum rationis ſufficientis diſtincte cognitæ.

§. II.

De natura & uſu Senſus Naturæ communis in cognoſcenda veritate.

33.

Senſus naturæ communis quoad ſubſtantiam non differt a facultate intellectiva rationis demonſtrativæ & cum evidentia veritatem cognoſcentis; ſed ſolum ſecundum accidentia conceptuum & notionum de objectis; quibus iſta diſtinctis, ille vero utcunque claris quidem, ſed ſimul admodum confuſis, in cognoſcenda veritate ſic utitur, ut, cum ratio demonſtrativa tum ſubjecti poſſibilitatem (ſeu realitatem), tum prædicati convenientiam, vel contradictionem cum ſubjecto, quovis in judicio, immediato, vel mediato, ex diſtinctis utriusque notionibus diſtincte intuetur; ſenſus naturæ communis eam utramque ex notionibus claris quidem (in ordine ad diſcernendum objectum totale) ſed confuſis (ſecundum ſingulas partiales notas) diſcernat confuſe, at ſine diſtincto quidem, non tamen ſine claro ſimpliciter intuitu. Illud totum evidens a poſteriori fit reflexione

ſenſa-

ſenſationis intimæ, qua meditemur modum, quo demum homines univerſe a cognitione veritatum plurimarum, jam prius a ſe confuſe cognitarum, progredi ſolent ad ipſam earum evidentiam cum demonſtratione perfecta intuendam; quoties progreſſus iſte fit non ex novis principiis, experientia aliqua nova primum detectis (ſeu externa ſenſuum, ſeu intima) ſed ex ſola meditatione & multa reflexione ſuper principiis & rerum notionibus confuſis, jam antea habitis, & perceptis. Quid enim uſuvenit demum, cum ex. gr. prius ex ſolis confuſis conceptibus *de ordine rerum in hoc mundo tam mutabili* ſenſu naturæ dictante cognovimus, *illum debere habere pro auctore & ultimo principio efficiente DEUM ſeu ens a ſe, immutabile, infinite ſapiens & potens;* poſtmodum vero ex his ipſis confuſis adhuc notionibus, ſola ſuper eis reflexione formamus diſtinctiores, atque ex his mutuo comparatis incipimus cum demonſtratione intueri evidentiam ejusdem veritatis? Quid, inquam, uſuvenit aliud, niſi quod id, quod prius jam ex comparatione idearum confuſarum intuebamur, poſtea evolutis reflexione partialibus notis idearum ſubjecti & prædicati, diſtinctius videamus; ita, ut, cum prius totalem ideam prædicati, ſimpliciter claram, ſine diſcretione plurium ejus partialium notarum, in idea ſubjecti itidem confuſa, ſimpliciter tamen clara contineri, aut eidem diſconvenire videremus; poſtea explicatis magis utriusque notionibus, vel cum, vel ſine applicatione tertiæ ideæ (ut in ratiocinio fieri ſolet) itidem magis explicatæ, etiam ſingillatim omnes & ſingulas partiales notas prædicati in idea ſubjecti contineri, aut unam ſingillatim illius notam ab hac excludi, diſtincte perſpiciamus. Profecto enim inventores demonſtra-

monſtrationum diſtinctas notiones, per quas demonſtratio ejusdem veritatis, præſertim ab omni experientia remotæ, abſolvitur, non creant ex nihilo, ſed reflexione ex notionibus confuſis pedetentim efformant, tum abſtrahendo ſimplices notas a compoſitis conceptibus, tum has item ſingillatim inter ſe in diverſis ideis comparando, atque ita tum convenientiam plenam omnium notarum expreſſius intuendo, tum contradictionem idearum ex oppoſitione contradictoria vel unius notæ in una atque altera magis explicate obſervando. Atqui eadem eſt facultas reflectens ſuper ideis confuſis, & per eas confuſe cogitans, & reflexione pedetentim explicans diſtinctas ideas, & poſtmodum in his nova reflexione veritatem eandem diſtincte & cum evidentia diſtincte intuens. Ergo &c.

* Diſcrimen hujus utriusque cogitandi modi in una eademque facultate intellectus graphice advertes, ſi reflectas ad diſcrimen, quo peritus aliquis pictor recognoſcere ſolet ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem ectypi alicujus cum noto ſibi prototypo, a ſe diligenter alias & ſingillatim quoad lineamentorum minutias pro artis ſuæ peritia obſervato; & quo eandem ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem adpercipere ſolet homo quiscunque alius rudior, qui ſolo ſuperficiario viſus obtutu frequentiore prototypi ſpeciem ſibi familiarem habet, nec ipſius ectypi lineamenta ſingillatim, ſed compoſitam ſolum ſpecie n contueri ſolet. Si ex rudi iſto homine quæras, quem ectypon hoc repræſentet, item an bene, vel male Petrum repræſentet: ex ſolo confuſo ectypi & prototypi conceptu, quem rudi ex obtutu menti infixit, tibi promte, ac ut plurimum, ſimpliciter ex vero reſpondebit: Petrum

trum bene, vel non bene repræsentat. At si quærendo porro urgeas, unde, & ex quo singillatim similitudinem, vel dissimilitudinem probet: nisi nova reflexione ad singula prius descendat, hærebit ei aqua; vel certe non nisi rudia valdeque composita & confusa similitudinis, aut dissimilitudinis indicia, & notas enumerare poterit. Contra peritus pictor ille, pro eo, atque diligenti reflexione, super minutias lineamentorum singillatim jam prius facta, multo distinctiorem prototypi ideam in mente præformatam gerit, & ex artis habitu in ectypo etiam comparationem singulorum lineamentorum cum illa prototypi idea instituere novit; ita prædictæ quæstioni respondens, mox notas omnes particulares similitudinis, aut dissimilitudinis minutim enumerare incipiet, e. gr. singularum vultus partium figuras, lineamenta, colorem, magnitudinem, proportionem &c. &c. Jam vero an non uterque istorum hominum eandem ideam visualem aspectu prototypi atque ectypi integram accepit? an non rudis ille homo æque oculorum acumine, atque ille peritus artifex, pollere potuerit? Uterque ergo expressam eandem prototypi atque ectypi imaginem habere in mente potuit. Uterque similitudinem aut dissimilitudinem utriusque ex ejusdem intuitivæ facultatis obtutu perspectam ex vero habuit. Aliter tamen artifex, aliter rudis ille eam perspexit. Prior ille quidem cum distincta omnium notarum similium, vel dissimilium, singillatim enumeratarum, cognitione & discretione, ac proin cum evidentia cognitionis: alter non nisi confusa similitudinis, aut dissimilitudinis totius ectypi & prototypi in composito adperceptione. Sed unde totum discrimen hoc? Ex eo, quod artifex reflexione super singulis partibus

ideæ prototypi juxta atque ectypi utens, easdem inter se singillatim componens, plurimas singulares totalis idearum similitudinis, vel dissimilitudinis singulares notas discernat; ex quibus proin cum evidentia de gradu & integritate similitudinis judicat: dum e contra homo rudis, uno velut intuitu notas omnes similitudinis involvens potius, quam seorsim discernens, uti tam prototypi quam ectypi solum confusam (simpliciter tamen claram) ideam, frequenti quidem, sed parum reflexo, & ad singulas partes seorsim defixo, aspectu habet, ita etiam ipsius similitudinis utriusque non nisi confusam, claram tamen simpliciter, certamque notitiam habet. Pictor ante artem pingendi perceptam ipse erat rudis ille homo, de quo dixi, nec alitet tunc nisi confuse de similitudine picturæ cum prototypo judicasset. Ast post artem perceptam distincte & cum evidentia judicat de eadem. Rudis homo ille nos omnes sumus, priusquam demonstrationes addiscimus, ex sensu communi naturæ confusisque ideis veluti in composito de rebus judicantes: his jam probe instructi ad modum artificis illius longe distinctius de rebus iisdem & cum evidentia judicamus.

** Ceterum ex his ipsis modo dictis patet, non male a celeberrimo Lockio in iis sensum naturæ communem ignorantiæ asylum appellatum fuisse, qui illius dictamen confusum allegare pro quavis veritate afferenda contenti, distinctiori veritatis cognitioni, ipsique evidentiæ eruendæ operam nullam impendunt.

*** Verum ut sensus communis naturæ indolem veramque naturam porro aliis exemplis pluribus, in quibus eius dictamina judiciaque locum habent, meridiana in luce

luce collocemus; opportunum erit sermonem hic inferre erroris absurdissimi in illius natura explicanda a subtilissimi alias acuminis scriptoribus in argumento momenti gravissimi commissi, nimirum in moralitate bona & mala actionum humanarum discernenda. Nempe David Hume (Essais de Morales Addition I. Sur le Sentiment Moral.) D. Robinet in opere Gallico *de la Nature*, aliique, *Sensum* quemdam *Moralem*, gustumque naturalem Virtutis & Vitii, universe ceu judicem omnis moralis discriminis humanarum actionum adstruxere; de cujus tamen natura mirum quam absurde viri cetera summi scripsere. *D. Robinet* illud quamdam speciem sensus externi existimat; cujus organum sensorium subtilitate sua oculos nostros in nostro corpore adhuc effugiat, sed fortassis detegi adhuc subtilioribus microscopiis inventis queat. *D. Hume* sub finem cit. Differt. ita scribit: *oportet esse sensum aliquem, aliquem tactum, seu gustum interiorem, vel quocunque nomine illum appellare libeat, qui bonum ac malum morale discernat.* Ipse D. Federus in sua Philos. Pract. Univ. item ceu dubiam quæstionem versare videtur: *an sensatione quadam incerti generis, an rationis judicio, discrimen moralium actionum discernere soleamus?* etsi ipse ad partem rationis sua sententia accedat. At enim facillimum est demonstrare, *discrimen* illud *moralitatis actionum humanarum* nullo sensu externo, nec experientia, sed solo judicio *rationis*, nunc per *sensum communem naturæ* solum ex confusis notionibus, *nunc demonstrative & cum evidentia* de eodem ex distinctis notionibus judicante. Consistit enim evidenter in relatione actionis ceu medii idonei ad finem ultimum hominis, qui sine dubio vera ejusdem beatitudo est. Jam vero tam de *fine* isto,

 quis

quis sit; quam de *ratione medii*, utrum ista cuique actioni humanæ liberæ insit, solum rationis judicio, nequaquam vero ullo sensu externo, seu corporeo organo mediante, judicari a nobis potest. Ut enim omnem amplam de vera beatitudine objectiva, & fine ultimo hominis disputationem hic omittam: evidens est, nihil quod sensu externo percipi potest, id est, nihil corporeum, bonum summum objectivum entis spiritualis, quale anima nostra est, conficere posse, ceu quid ista longe inferius in perfectione. *Finis ergo ultimus*, seu ipsa beatitudo hominis, *non sub sensus corporei experientiam*, *sed* ut res & objectum ab omni corporeo remotum *ad solum mentis spiritualem intuitum rationis spectat. Multo vero minus ratio medii, actioni humanæ liberæ insiti, ad eundem finem sub sensum corporeum cadit.* Actio enim ista immediate libera tota menti immanens & mere spiritualis est, nec nisi per suos effectus, ceu signa caussæ naturalia, id est, per motus corporis, sub oculos cadit. Præterea ratio medii ad finem eidem insita non nisi in consensu cum summo bono, id est, cum divinis perfectionibus, consistit: qui consensus cum iterum relatio similitudinis sit actionis cum perfectione divina; cujus relationis neuter terminus ullum organum corporeum impressione aliqua per se afficere extrinsecus aut possit, aut soleat: enimvero evidens est, quod sensu externo eam experiri non possimus, sed solum rationis judicio discernere. Jam vero cum illam relationem similitudinis actionum certarum humanarum cum DEI perfectione aliqua æque rudes homines ex confusis de divina perfectione & actionis natura conceptibus passim agnoscant, atque alii Ethices accuratæ periti ex distinctis eisdem notioni-

notionibus demonſtrare ſubinde noverint: patet profecto, *ſenſum moralem*, vulgo hominum communem, non niſi communem naturæ ſenſum eſſe; uti & hunc a ratione diſtincte & cum evidentia judicante non niſi diverſo gradu diſtinctionis conceptuum atque notionum differre.

§. III.

Quodnam in, aſſerenda Numinis exiſtentia pretium ſtatui debeat communi humani generis conſenſui.

34.

Vulgus hominum indoctorum ſenſu naturæ communi DEI exiſtentiam cognoſcere ſolet, non ex evidentia rationis demonſtrativæ. Demonſtrationis enim pauciſſimi capaces, pauciores vero actu conſcii & periti ſunt. Porro tametſi in pueritia plerique ſola inſtructorum ſuorum, vel parentum auctoritate in credenda Numinis exiſtentia acquieſcant: tamen auctoritas mere humana viris vel mediocriter ſagacibus non ſufficeret ad Numinis exiſtentiam conſtanti & firma perſuaſione credendam; niſi reflexione ſuper mundi iſtius mirabili ſimul ordine & perpetua mutabilitate inſtituta, ipſimet ex notionibus confuſis *entis mutabilis*, & *entis immutabilis atque a ſe ipſo exiſtentis*, perſpecta ſemel illius prioris in hoc mundo exiſtentia, etiam hujus exiſtentiam ſaltem confuſe ipſimet proprio ſenſu perſpicerent eſſe neceſſariam. Quid quod vel ſola confuſa *entis infinite perfecti* notione cum reflexione examinata facile perſpiciant, idem & *poſſibile* eſſe, & *ſi poſſibile ſit*, ob perfectionis ipſam infinitudinem *exiſtere debere*; etſi ob notionum iſtarum con-

confusionem, qua vulgo laborant, distincte ista omnia non intelligant, nec demonstrare sciant. Itaque vulgus hominum &c. &c.

35.

I. *Sensus de DEI existentia idcirco hominibus mediocri saltem reflexione utentibus plerisque communis est, tum quia omnibus notiones de DEO, & istius mundi ordine & mutabilitate, ex institutione humana vulgo obveniunt saltem confusæ, tum quia ex his notionibus, etsi solum confusis, omnes DEI existentiam saltem confuse naturæ ipsius sensu communi agnoscunt.*

II. *Etsi fortasse aliqui sint, qui existentiam DEI præfracte negent, non sequitur, eos sensu naturæ communi de ejus existentia carere:* quia nulla est necessitas eidem actu in mente existenti assensum præbendi (33.).

36.

Sensus naturæ communis in singulis seorsum spectatus sæpe errat, maxime in iis veritatibus cognoscendis, quorum etiam evidens demonstratio minime simplici, sed non nisi concatenato ratiocinio absolvi potest. Cum enim aliud non sit quam ipsa humana ratio confusis ex ideis ac notionibus cogitans; in confusa autem cognitione ob defectum animadversionis discriminum facile unum pro altero sumitur (id est, facile quædam confunduntur inter se); facile hoc ipso error committitur; si solo naturæ sensu proprio singulari ducamur. Porro id tunc præcipue fieri multo pronius est, cum ad veritatem secure cognoscendam multo plura discernere

nere inter se oporteret, quod in concatenatis pluribus ratiociniis necesse est. Etenim vel unum ex multis, quæ discernere oporteret, si cum altero confundat, error in proclivi est. *Experientia* id ipsa docet. Cum enim olim in Philosophia, in Jure Naturæ &c., non nisi ex confusis notionibus doceretur; etsi in multis veritas attingeretur, errores tamen plurimi committebantur, quos hodie cadere in doctos potuisse admiramur. Multo vero magis errabatur in iis quæstionibus, quæ, ceu magis complicatæ, non nisi multiplici plurium ratiociniorum evolutione & concatenatione etiam hodie in Metaphysica, Jure Naturæ, atque Ethica &c. &c., demonstrari possunt.

37.

Judiciorum de una eademque re diversitas in diversis hominibus non nisi in confusa de iisdem cognoscendi methodo locum habet; & tum ex diverso gradu claritatis atque etiam distinctionis ipsarum notionum confusarum, quæ in uno atque altero intellectu insunt, tum ex diverso gradu attentionis & reflexionis in judiciis ferendis super ipsis confusis notionibus, oriri solet. Inprimis enim ubi ex notionibus tam distinctis ratiocinamur, ut omnes rationes partiales sufficientes discernantur, evidentia nascitur, quæ ad assensum necessitate trahit. Quodsi ergo omnes ex æque distinctis notionibus ad evidentiæ intuitum sufficientibus ratiocinarentur; nulla judiciorum diversitas esse posset. Ex adverso dum plerique ex solis confusis conceptibus judicia sua formant, præsertim cum non nisi concatenatis ratiociniis veritatis evidentia obtineri potest, nunc iste hoc, nunc ille aliud cum altero con-

 fundere

fundere ex multis iis potest, quæ discerni a se invicem vi distinctiorum conceptuum deberent; ac proinde diversitas judiciorum locum habet; pro eo nempe inprimis, quo unus aliis confusiores, vel minus confusos de eadem re & de rebus cum ea affinibus & connexis conceptus habet; tum vero etiam pro diverso attentionis & reflexionis usu in ipsa confusarum notionum convenientia, vel contradictione, inter se discernenda. Ergo &c. &c.

38.

Quodsi ergo homines consensu valde communi in aliquo judicio per communem naturæ sensum, id est per rationem ex confusis notionibus judicantem, elicito conveniant; indicium est, tam sufficientem claritatis & distinctionis gradum omnibus inesse circa notiones omnes, ex quibus id judicium communi naturæ sensu ab omnibus formatur, talemque earundem notionum uniformitatem, ut mediocri etiam attentionis ac reflexionis super eisdem gradu earum talem convenientiam, vel disconvenientiam, singuli discernant, qualem communi consentiente judicio enuntiant. Et vero confirmabuntur quique in hac illatione facienda ex ea, quam in se ipsis experiuntur, tum facilitate formandarum illarum notionum satis clare objectum repræsentantium, tum reflexionis faciendæ ad ipsum ferendum illud judicium sufficientis.

39.

Cum plurimi homines diversissimi acuminis intellectus, indolis, conditionis, nationis &c. in eodem de re aliqua judicio, sine evidentia tamen demonstrationis, sed solo confuso sensu naturæ, constanter

ter tamen, *consentiunt;* supposita certitudine experimentali de diverso in eis judicii acumine in plurimis aliis rebus dijudicandis, certum est, diversum in eis vel maxime esse gradum claritatis & distinctionis earum notionum, ex quibus singuli consentiens illud judicium solo confuso naturæ sensu efformant. Quodsi ergo nihilominus insuperhabito eo discrimine claritatis notionum idem omnes ex his judicium de eadem re formant; cum simul ob ætatis, conditionis, nationis, omniumque emolumentorum & jurium tam varium discrimen, communia illis motiva falsum dicendi suppetere moraliter non possint; *de duobus certi moraliter saltem efficimur, primo scilicet quod omnes & singuli judicium tale, quale ex proprio naturæ sensu efformant, sincere enuntient; deinde quod omnes, insuperhabito diverso notionum earundem gradu, quo pollent, insuperhabito item tam vario acumine & reflexionis usu, tamen idem prorsus in iisdem simpliciter quidem adhuc confusis, sed tamen diverso gradu claris, notionibus mentis obtutu videant, & discernant.* 2.) *Quod quidem totum tunc a fortiori valet; cum judicium id genus consentiens de re maximi momenti fertur, & in qua omnium maxime interest, ut ne errent, vel alios destinato consilio decipiant.*

40.

Quodsi ergo consensus hominum communis in consentiente judicio, solo communi naturæ sensu ex confusis simpliciter notionibus formato, *erraret; assumere oportebit, omnes, qui in eo judicio consentiunt, id in suis notionibus de objecto, de quo judicant, confundere, ex quo uno discreto, & cla-*

re cognito, veritas cognosci, & error devitari posset.

41.

Consensus communis hominum in re maximi momenti, etiam non sub sensus cadente, & ubi non de factis attestandis agitur, valde authentici testimonii dogmatici & gravissimae auctoritatis rationem habet: 2.) multo vero majorem habere debet apud profunde doctos, qui, si non omnia, saltem pleraque judicia communi sensu naturae nota, & consensu communi hominum probata, etiam rigida demonstratione cum omni evidentia probare sciunt. Talis enim consensus communis inprimis notas certas habet veracitatis tot testium in prodendo vero suo sensu (40), tum vero tot partiales atque tantas notas securae notitiae veritatis; quot & quantae sunt, & esse noscuntur, vires intellectus in universis hominibus in eo judicio consentientibus, atque conatus veritatem in re tanti momenti rite cognoscendi. Atqui istae vires & hi conatus innumeri & maximi sunt. Ergo & authentia atque auctoritas communis naturalis sensus hominum gravissima & maxima est: *quod primum.* Porro profundius docti pro numero veritatum, olim & ipsis solo communi sensu naturae notarum, quas quisque ex eis nunc etiam rigidis demonstrationibus ad omnem evidentiam ostendere novit, etiam uniformi experientia positiva, eaque multiplici, pollent, de uniformi & constante veritate communis consensus hominum, ac proinde peculiari veritatis ejusdem criterio pollent (11.): cum ceteri solum negativa experientia uniformi gaudeant, qua videlicet uniformiter huc usque experti sunt, nullum judicium

dicium communi consensu hominum receptum huc usque falsitatis unquam convictum fuisse.

* Non licet hic uniformem positivam experientiam universe allegare de eo, quod semper experti uniformiter simus, vera fuisse, quæ communi consensu homines, naturæ sensu dictante, credidere. Nam ad id genus veritates non solum DEI existentia, sed etiam omnia generalia principia morum & motiva totius honestatis pertinent; de quibus hic ex æquo quæritur, utrum consensus naturalis hominum de eorum veritate certi criterii vim habeat, & attingat. Quamdiu ergo aliunde quam ex sensu naturæ & communi hominum consensu istas veritates perspectas non habemus, experientiam veritatis de judiciis communi consensu hominum celebratis allegare non possumus. Soli docti, qui easdem veritates demonstrare norunt, experientiam ejusmodi allegare ex sensu intimo evidentiæ demonstrationum suarum possunt. Aliter *de communi hominum testimonio historico in factis sensibilibus* contestandis loqui licet: quod utique verum esse ex uniformi experientia notum est. Recte itaque Seneca dixit, *nemo omnes, omnes neminem fallunt;* quamdiu de factis sensibilibus omnium consensu attestatis id affirmavit. Dum vero etiam de aliis veritatibus sensu naturæ communiter credi solitis idem pronuntiare videtur; quæritur hic ex instituto; quo id fundamento dixerit; cum uniformem experientiam omnibus communem de eo jam allegare non possit.

** Superest ergo solummodo, ut vim istius auctoritatis, quæ communi hominum sensui ex ipso sensu naturæ orto inest, tum ad movendum intellectum ad assensum, tum

tum ad ejus certitudinem determinandam, porro accuratius ponderemus, ac definiamus. Ad hoc vero opus est, ipsam indolem omnemque naturam physicæ, ac moralis certitudinis præcisius ob oculos ponere: quo facto facile nobis erit ostendere: *consensum hominum in judicio tam gravi, quale est de existentia DEI, ipsam certitudinem physicam criterii sensuum externorum proxime assequi.* Juvat ergo, hic ea in Synopsi excerpere, quæ hac de re scripsi alias in Demonstratione Evangelica Cap. V. Artic. 1. §. II.

42.

Evidentia physica judiciorum de eventis seu mutationibus, in hoc mundo contingentibus & futuris, est intuitus distinctus rationum sufficientium naturalium, seu legum naturæ, per quas quilibet eventus, vel mutatio, in hoc mundo pro quovis tempore & loco sic determinatur, prout judicium nostrum enuntiat.

43.

Evidentiam physicam nunquam proprie assequimur nostris judiciis de eventibus & mutationibus in hoc mundo corporeo contingentibus. Neque enim ipsas horum eventuum rationes sufficientes, simplicibus ipsis elementorum corporeorum substantiis insitas singillatim intuemur, sed solum ex uniformitate eventuum naturalium ex iisdem positis conditionibus semper pariformiter consequentium, concludimus, in iis conditionibus simul sumtis caussam eventus simpliciter inesse, & iisdem deinceps denuo positis eventum similem consecuturum. Non itaque ipsas rationes sufficientes eventuum distin-

diſtincte intuemur, nec proin eorum evidentiam phyſicam habemus; ſed ipſam ſolummodo uniformem ſucceſſionem eorundem; ex qua vi legis phantaſticæ iisdem antecedentibus forte iterum recurrentibus ſimilia ſecutura denuo expectamus.

44.

LEMMATA QUÆDAM PSYCHOLOGICA.

1.) *Cum ſenſu externo frequenter jam, & nunquam non uniformiter experti ſumus, certas in objectis externis mutationes conſtanter easdem & eodem modo conjungi; tunc recurrente unius mutationis ex eisdem ſenſatione, continuo ſenſu intimo experimur, nos inclinari ad concludendum cum certitudine, ſubſecuturam mox alteram illam in objecto eodem mutationem, quam antehac ſemper ſubſecutam eſſe, uniformi ſemper ac frequentiſſima experientia ſenſuum experti ſumus.*

2.) *Ex adverſo ſi experientiæ ſenſuum non uniformes, ſed diſſimiles fuere, ita, ut non ſemper eadem mutatio ſubſequens in objecto eidem mutationi antecedenti reſpondiſſe obſervata fuerit, ſed nunc hæc, nunc alia: tunc neutiquam cum firmitate illa ac certitudine ex primæ mutationis redeunte obſervatione ſecuturam alteram concludimus, ſed cum probabilitate ſolum, eaque majore, vel minore, pro eo atque plures uniformes, & pauciores diſſentientes experientias prævias de ſucceſſione continua id genus mutationum in objecto numeramus.*

3.) *Porrò inclinatio illa naturalis ad concluſionem illam de ſimili eventu ex ſimilibus antecedentibus ſecuturo nunc cum certitudine, nunc cum probabilitate ſolum faciendam immediate oritur ab ideis*

ideis uniformium illarum, vel non uniformium, experientiarum ſenſualium, ope phantaſiæ reproduci, & ope memoriæ recognoſci ſolitis; quæ ideæ ſingulis experientiis olim habitis reſpondentes, ſingulæ totidem ſunt rationes inſufficientes & probabiles; ita tamen, ut ipſa illarum uniformitas pro numero earundem probabilitatem augeat ſimilis in ſimili hypotheſi futuri eventus; &, ſi numero ſat frequentes ſint, ſimulque diſſentientium experientiarum nullæ omnino ideæ adſint, quæ ab aſſenſu talis concluſionis ſimul eodem tempore abſterreant, omnino certitudinem, id eſt, gravem illam, firmam, nec in utramque partem vacillantem mentis ad aſſenſum ipſum inclinationem, nullo in oppoſitam partem momento retentam ac debilitatam, conficiat.

4.) *Itaque ipſe intuitus mentis in ideas uniformes præteritis experientiis numero plurimis reſpondentes, id eſt, quod* CERTITUDINEM PHYSICAM *ſeu naturalem de ſimili in ſimili hypotheſi futuro naturali eventu appellamus:* eoquod ex ipſa natura tum objectorum naturalium, ſecundum ſtatas naturæ ſuæ leges mutationes ſuas vi naturali propria obeuntium, tum ex natura mentis noſtræ, ejusque facultatis phantaſticæ, itidem certis naturæ ſuæ legibus ſubjectæ, oriatur.

5.) *Certitudo phyſica judiciorum noſtrorum modo definita de futuris naturalibus eventis in hoc mundo non nititur inductione generali & completa.* Nemo enim hominum ipſe propria experientia expertus eſt omnes caſus ſimiles, in quibus ex ſimilibus antecedentibus eventis ſimilia conſequentia in hoc mundo huc uſque evenere.

6.) *Cer-*

6.) *Certitudo physica prædicta* (absente miraculo) *cum ipsa veritate judiciorum nostrorum de similibus futuris eventibus connectitur præcise per hypothesin, tum quod ipsa natura mentis nostræ vi legum suarum naturalium absolute, & sine ulla periculi admonitione, vel indicio, nos inclinare ad erroneum judicium passim saltem non possit; tum quod actu existant in natura corporea statæ leges naturæ; secundum quas uniformiter, & sine exceptione mere rarissima, eventus naturales semper iidem ex eisdem positis antecedentibus eveniant: ita tamen, ut vi istius meræ certitudinis physicæ veritas realis utriusque istius hypothesis ulterius evidenter probari non soleat.*

7.) *Unde eadem certitudo physica per se ipsam non exhibet menti immediate impossibilitatem absolutam etiam naturalem alterius eventus dissimilis sub eisdem licet adjunctis antecedentibus secuturi: per quod ipsum differt ab evidentia physica* (43.).

8.) *Certitudo physica varios gradus habere potest*, pro multitudine videlicet experientiarum uniformium, quas quisque propria sensatione jam cepit, & pro gradu vivacitatis phantasiæ earum ideas reproducentis, & per memoriam recognoscentis.

9.) *Ad summam physicam certitudinem de futuro aliquo eventu non est opus propria experientia ejus, qui physice certus esse velit. quas is singillatim omnes similes eventus præteritos ipse expertus sit; sed sufficit consentiens aliorum hominum testimonium, idem se constanter in similibus adjunctis exper-*

expertos testantium, ac ne istorum quidem singulorum determinate, nec universorum; sed multorum saltem: sic tamen, ut nullo probabili testimonio constet de experimento contrario. Plus certe arctum vitæ spatium, & communis facultas certam de aliorum experientia capiendi notitiam privato cuique homini non permittat; quin idcirco quisquam negaverit, etiam privatum quemque particularem hominem de id genus eventibus certam prævisionem habere posse.

* Hæc demum universe sumta *certitudinem* illam *physicam* absolvunt, quam omnes docti indoctique talem appellant, quam de eventibus naturalibus, ex applicatione certarum caussarum naturalium sub certis individuis adjunctis exstituris, habere solemus, ex. gr. de accensione stuppæ aridæ ab igne applicato, de crastino ortu solis, & hodierno occasu futuro &c. Alia quæstio est: *an demonstrari possit etiam usque ad evidentiam, hujusmodi certitudini physicæ absolute falsum subesse non posse.* Qua de quæstione sane difficili nihil opus est isthic quidpiam pronuntiare. Sufficit veram naturam physicæ certitudinis, a nullo in dubium vocandam, exposuisse; atque modo ostendere, totum, quod in ea inest ponderis ad assensum imperandum, atque adeo etiam proxime ipsam istam certitudinem physicam inesse judiciis nostris, quæ ex communi consensu hominum de aliquo dogmate, ex ipso sensu naturæ istud dictante orto, in nobis existunt.

45.

Sensus proprius naturæ, ad aliquod judicium in re gravis momenti ex ipsis confusis subjecti & prædi-

prædicati notionibus nos inclinans, si communi hominum consensu, satis certo item nobis perspecto, fulciatur, parem certitudinem talium judiciorum parit, qualis est vulgo certitudo physica de futuris eventibus, ex sola uniformi præterita experientia in nobis oriri solita (præc. n. 4. & 5.). Habet enim omnes notas & rationes assensus firmi cum ista communes. Cum enim per notitiam certam de communi consensu hominum circa tale judicium certi hoc ipso simus, omnes communiter homines perinde, atque de nobis ipsis intime experimur, ipso naturæ communi sensu inclinari ad tale judicium; & pari, confuso licet, claro tamen, intuitu mentis videre nobiscum eandem convenientiam, vel contradictionem subjecti & prædicati ejusdem: tot cognita consentientia hominum judicia, æque clara, atque noster proprius naturæ sensus est, se habent instar illarum uniformium experientiarum, in ideis phantasticis a phantasia reproductis menti præsentium; singulaque parem vim habent, atque singulæ istæ ideæ phantasticæ, præteritas uniformes experientias repræsentantes, ad movendum intellectum ad assensum; ita, ut concordia omnium judiciorum humanorum satis certo perspecta eundem effectum in mente pariat, quam parit sat certo perspecta uniformitas experientiarum externarum sub eadem hypothesi antecedentium (præc. n. 3. & 4.). 2.) Porro sicut certitudo physica non nititur generali inductione omnium eventuum similium in simili individuo casu (præc. n. 5.); ita nec opus est ad hoc, ut communis sensus hominum omnino omnium nobis singillatim sine exceptione perspectus sit: sed sufficit etiam ad parem summam certitudinem judiciorum communi consensu hominum & ipso proprio naturæ sensu ni-

xorum, ut de plurimis hominibus ipſi ex eorum teſtimonio certam notitiam hauſerimus, & de aliis univerſe ita ex conſentiente coævorum aliorum hominum atteſtatione nobis conſtet, ut nullo probabili teſtimonio conſtet de oppoſito (præc. n. 9.). 3.) Sicut rurſus certitudo phyſica ſubſiſtit in certa expectatione ſimilium eventuum ex uniformi experientia præterita; etſi illa non exhibeat impoſſibilitatem abſolutam etiam naturalem alterius eventus futuri: ita etiam certitudini abſolute ſimili judiciorum noſtrorum prædictorum ex communi conſenſu hominum nihil obſtat, quod conſenſus iſtius certa notitia non exhibeat impoſſibilitatem abſolutam etiam naturalem oppoſiti, vel erroris ipſi huic conſenſui ſe miſcentis. 4.) Denique ſicut certitudo phyſica de futuris eventibus, ex præteritis uniformibus experientiis nata, cum ipſa veritate judicii, ad quod iſtæ inclinant, præciſe connectitur per hypotheſin, quod naturæ mentis noſtræ vi naturalium legum ſuarum nos homines univerſe, abſolute, & ſine omni periculi erroris admonitione, vel indicio inclinare ad erroneum judicium ſaltem paſſim non poſſit (præc. 6.): ita idem de communi ſenſu naturæ noſtræ valet a fortiori in re graviſſimi momenti. Ergo omnimoda eſt paritas inter vim certificandi, quæ ineſt uniformis experientiæ præteritæ memoriæ, & inter eam, quæ ineſt conſenſui communi hominum, ex ipſo ſenſu naturæ orto, ſatisque certo perſpecto, præſertim in rebus graviſſimi momenti.

46.

Judiciorum certitudo, quæ proprio ſenſu naturæ ſimul ac certo conſenſu hominum nituntur, hoc præ

præ certitudine physica judiciorum de similibus futuris eventibus ex uniformi præterita experientia orta peculiare habet; quod illi non obstet dissensus paucissimorum quorumdam hominum, præsertim talium, de quibus aliis certis ex indiciis constat, quod illis ingrata sit veritas, quam sensus naturæ omnibus ceteris dictat. Constat enim ex dictis §. 33., nulla necessitate urgeri hominem quemlibet, ut sensui proprio naturæ etiam aliquod judicium & assensum de certa veritate ex confusis ejus notionibus suadenti actu assentiatur. Ergo si alioquin constet de certis hominibus, illis motiva unde unde, ex. gr. ex fuga & odio talis veritatis, suppetere ad negandum ei assensum; dissensus illorum per se ne probabile quidem argumentum est, illos sensum eundem naturæ satis clarum de tali veritate etiam solum confuse cognita non habere. Ex altera vero parte ob communem naturam & intelligendi facultatem, hujusque sufficientem vim, quam illis pariter nobiscum competere constat, vi ipsius experientiæ tam uniformis, quam de aliis pæne omnibus hominibus habemus, certi sumus, nec illis parem naturæ sensum de eadem veritate reipsa deesse, quem omnes alii homines habent, eo solo discrimine, quod ejus dictamini præbere assensum ex odio ipsius veritatis, quam istud suadet, obstinate detrectent. Ergo &c.

* Sed juvat certitudinem ex communi sensu naturæ & consensu hominum ortam etiam comparare cum ea certitudine, quæ simplici sensuum testimonio inest.

47.

1) *Vulgus omne hominum simpliciter certum*

est

est de existentia & praesentia corporum, quorum ideas sensuales visu, auditu, tactu &c. percipit.

2.) *Nihilominus evidentiam, de ista praesentia corporum sensibilium idem vulgus hominum ex solis ideis sensualibus non habet, & communiter istam nec ratiocinio quodam superaddito attingit.*

3.) *Certitudo ergo physica, quam vulgus hominum de actuali praesentia talium corporum habet, qualia per sensus externos percipit, non nisi in sensu confuso vivacitatis idearum sensualium consistit, quas in se ex usu & applicatione sensuum mens nasci advertit; quin de modo cogitet, quomodo nascantur, aut de necessitate nexus illarum cum vera praesentia corporum, quae repraesentant, distinctam rationem sufficientem reddere sciant.*

4.) *Atqui confusus intuitus, quo sensu naturae solo veritatem aliquam ex solis confusis notionibus intuemur, vivacitate quidem intuitus, at non firmitate inclinationis, qua ad assensum invitat, differt ab ea inclinatione item mere confusa, qua ad credendam praesentiam corporum ex eorum sensatione externa impellimur; visque vivacitatis idearum sensibilium abunde suppletur eo momento, quod proprio naturae sensui ex certitudine de simili sensu & consensu omnium aliorum hominum accedit.*

5.) *Itaque certitudo ex sensu proprio naturae & accedente certo consensu simili naturali omnium aliorum hominum proxime ad certitudinem eam accedit quam vulgo nos homines ex usu sensuum externorum de praesentia certorum corporum habere solemus.*

Neque

* *Neque putes* forsan, ex eo certitudinem testimonii sensuum majorem aperte probari, quod experientiæ sensuum nostrorum plane non refragari ipsimet possimus; bene tamen sensui naturæ & communi consensui hominum. *Falsum enim est*, testimonio propriorum sensuum nostrorum nos refragari absolute non posse. Certe Idealistæ veri extitere: & vel ex eo ipso, quod interrogatus quisque e vulgo hominum, unde probet, sensuum suorum ideis vere talia objecta præsentia substare, qualia repræsentant; eo ipso, inquam, quod respondere nihil sciat, nec petitum probare queat; facile advertet, se absolute negare assensum sensuum testimonio posse, cujus veritatem probare non possit.

** Adde denique & illud: eodem communi argumento reflexo post aliunde demonstratam DEI existentiam (nempe vel *a posteriori* ex sensu intimo de existentia animæ propriæ ceu entis mutabilis; vel *a priori* ex ipsa *entis infinite perfecti* notione) ex divinis perfectionibus probari, DEUM permittere non posse, ut testimonio sensuum externorum, uniformis experientiæ præteritæ & sensus communis naturæ, communi consensu hominum confirmati, in cognoscendis per ista criteria veritatibus maximi ad temporalem & æternam salutem nostram momenti unquam, citra omnem periculi erroris admoni-

 tionem



tionem & indicium, fallamur: cum ipfe pro fua infinita benevolentia per fe neceffitate abfoluta feratur ad omne verum bonum noftrum, æternæ faluti proficuum, promovendum; nifi noftra ipforum culpa impediatur. Proinde quam evidens cuique effe ex divinis perfectionibus poterit infallibilitas teftimonii fenfüum, vel uniformis experientiæ præteritæ fimilium cafuum; tam quoque evidens fit neceffe eft certitudo falli nefcia communis naturæ fenfus, & ex eo orti confenfus hominum quovis in judicio maximi momenti, e. gr. in primis principiis & fundamentis morum &c. &c.

48.

Exiftit confenfus communis hominum de exiftentia DEI, idemque ex ipfo fenfu naturæ communi ortus eft. Quisque enim noftrum præter fenfum naturæ proprium, quo fe ex folis confufis notionibus ad hujus judicii, *DEUS exiftit*, affenfum, feu ex intuitu creaturarum argumentando a pofteriori ad exiftentiam DEI ceu communis cauffæ efficientis, five a priori ex ipfa notione DEI, ceu entis infinite perfecti, inclinari fentit; infuper certiffimis experientiis & teftimoniis communem de hac veritate confenfum plurimorum hominum compertum habet, & ex plurimorum aliorum confentiente atteftatione fimilem confenfum multo plurium aliorum ipfi ignotorum cetera hominum certiffime cognofcit. Unde, fi etiam aliqui exiftant, qui obftinate DEUM exiftere negent, ex ipfa per-

fpecta

specta similitudine specifica naturæ humanæ, & facilitate tum acquirendæ genuinæ de DEO ideæ, & formandi inde intuitus de ejus existentia ex confusis etiam notionibus *de hujus mundi ordine mutabili*, & *entis infiniti possibilitate & existentia*, item ex uniformi experientiæ de tali naturæ sensu in pæne omnibus aliis hominibus existente (40.), certi efficimur, etiam in iis ipsis, qui negant DEUM existere, reipsa non deesse sensum eundem naturæ de existentia illius, solumque prava voluntate ipsos negare eidem assensum (47.); maxime quod vulgo in id genus hominibus atheis obvia se prodant motiva, dissuadentia talis veritatis ipsis merito timendæ assensum. Ergo reipsa existit communis sensus naturæ, & satis etiam communis actualis consensus hominum de existentia DEI.

49.

Consensus hominum de existentia DEI, qui actu existit (præc.), veram absolutamque certitudinem parit in omnibus, qui eundem rite perspectum habent. Patet ex dictis §. 46. Ostenditur vero idem ex absurdo, quod sequi reipsa, & esse tale, omnes sine petitione principii intelligent, qui DEI existentiam reipsa etiam cum vera evidentia a posteriori saltem, vel etiam a priori, demonstrare norint. Sequitur enim plerosque homines certos non esse de existentia DEI, ac proinde neque certos esse de existentia ullius legis divinæ: eoquod plerique demonstrationis & evidentiæ de ista veritate vel expertes, vel omnino etiam incapaces sint, nec alio criterio ad illam cognoscendam ducantur, quam proprio sensu naturæ, & communi

hominum perſpecto ſibi de eodem conſenſu. Atqui evidens abſurdum eſt, DEUM, qui pro ſua infinita beneficentia non creavit mundum niſi beatitatis creaturarum rationalium quam maximæ promovendæ cauſſa (non utique novæ alicujus propriæ utilitatis, vel voluptatis captandæ deſiderio), plerisque omnibus hominibus negare primum omnium & maxime ſingulis neceſſarium medium hujus conſequendi finis, videlicet certam de ſua exiſtentia notitiam. Ergo ex negata certitudine illius conſenſus hominum de DEO exiſtente ſequitur evidens abſurdum. Ergo ex oppoſito &c. &c.

* Supereſt, ut levibus argutiis breviter reſpondeam, quæ non nulli ſic dicti Theiſtæ, cum Lucretio, Spinoza, aliisque veris Atheis, ad enervandam vim criterii iſtius veritatis, quam ſenſui naturæ, communique hominum conſenſui, de exiſtentia DEI & præcipuis morum principiis ineſſe huc uſque oſtendi, excogitarunt. *Ajunt* iſti 1.), ſenſum communem de his omnibus primis religionis principiis originem traxiſſe ex innata hominum meticuloſitate, qua anxii futurorum, & futuræ ſuæ ſortis incerti, chimæras ſibi pro veris rebus effinxerint, quieſcere & frui præſente ſorte in tranquilla pace neſcii. *Sed* eccur metui potius iſti, quam ſpei (cum Puffendorfio de Offic. hom. Præf. §. VI. & ibid. L. I. c. 4. §. 8. ſeqq.) id genus conceptuum origo adſcribatur, non video. Anne magis timere, ſi mali, an ſperare, ſi boni ſimus, re-

ligio

ligio nos facit? Deinde metus talia fibimet fingens mero phantafmate, absque omni argumento, nonne grandis ftultitia foret, univerfo humano generi tam temere non affingenda? Quodfi feu metus ille, feu fpes futuri, prudentem rationem revera habuit; quam aliam dabis verius, quam prævium (non fequacem) naturæ fenfum de exiftentia DEI fumme boni, & jufti, & providi, qui metum talem malis, juxta atque fpem bonis, ingereret? Longe itaque verifimilius eft, imo certiffimum, quod fenfus ifte naturæ proprius cauffa illius metus & fpei prævia fuerit, non autem, quod ex metu, vel fpe simili, ille primum fuerit exortus. Secus profecto metus DEI potius fuadere debuiffet opinionem de non exiftente DEO, quam de exiftente. Certe multo verifimilius nos credimus, fceleratos homines, male fibi a DEO metuentes, nec quidquam in futurum fibi ab eo expectantes boni, pacandæ mentis fuæ cauffa DEI fidem, quæ metum illum incufferat, ceu hoftem nimis invifum, a fe excuffiffe. Sed denique veram originem omnis communis fenfus naturæ jam demonftravi fupra §. 34: quam demonftrationem valere ex æquo de ifto communi fenfu naturæ, & ex eodem orto confenfu hominum *de exiftentia DEI*, id ipfum evidenter probat, quod eandem DEI exiftentiam Philofophi non nifi evolutis con-

fuſis ſenſus naturæ notionibus denique demonſtrare dicere.

** *Ajunt* 2.) ſenſum communem de DEO & ceteris religionis principiis non niſi ex ignorantia natum fuiſſe, qua rudes homines cauſſarum ignari, ex quibus mirabilia paſſim effecta naturæ naſcerentur, DEUM, ceu quemdam auctorem illarum univerſalem, effinxerint. *Sed* recte illos profecto ex illis DEI exiſtentiam, ceu auctoris omnium, intuliſſe, demonſtratio metaphyſica abunde evincit, qua cum omni rigore a poſteriori eandem oſtendi veritatem ad evidentiam uſque conſtat. Hoc ergo ex fonte allegato ſi revera natus communis ille de DEO ſenſus fuerit; ex illa confuſa quidem *entis mutabilis* & *entis ab alio* idea reipſa natus eſt; quæ ſi diſtincte evolvatur, cum exiſtentia *DEI*, ſeu *entis a ſe*, illius exiſtentiam connecti, mox evidenter quoque intelligitur; atque adeo evidens eſſe incipit, veritatem illi ſenſui naturæ communi omnium hominum ſubeſſe.

*** *Volunt* 3.) a ſummis Principibus & primis legislatoribus ſparſum, ac ſtudioſe nutritum in vulgo rudiore communem illum de DEO & tota religione ſenſum fuiſſe; eoquod regimen illi ſuum & legislationem ex eo mirifice firmari in ſubjectis ſibi populis facile perſpice-

ſpicerent. *Sed* quod legislatores omnes & ſummi Magiſtratus auctoritate ſua ſuffulcierint hunc communem conſenſum hominum de exiſtentia DEI, ceu bene regendis populis neceſſarium, nemo negaverit. Sed utrum illius auctores primi fuerint, ita, ut contra ipſi judicantes, falſum perſuadere ſubditis rudibus privati præciſe emolumenti cauſſa intenderint, & eo ipſo perſuaſerint, factum quoddam eſt omnimodis improbabile, & inveriſimile. Niſi enim proprius naturæ ſenſus id alioquin dictaſſet; profecto pauciſſimis hoc dogma perſuaſum fuiſſet; ſed multo potentius motivum abſterrens fuiſſet ſpes jugi humani ſimul ac divini excutiendi, ſi nullo alio criterio dogmatis prædicti veritas fuiſſet hominibus, libertatis ſuæ plus nimio amantibus, perſuaſa. Certe omni hiſtoria teſte, legislatores univerſi non legibus ſuis religionis dogmata primum credenda ſanxere; ſed a religione, quæ pridem in quavis gente vigebat, auctoritatem & pondus juſtis ſuis legibus adſcivere, has etiam ſubinde divinitus ſe accepiſſe fingentes. *Denique* doctoribus falſitas iſtius argutiæ exinde perſpectiſſima eſt; quod omnia dogmata religionis & morum, quæ ſenſus naturæ communiter hominum vulgo perſuaſit, in hodierna luce Philoſophiæ



phiæ etiam ad veram evidentiam usque demonstrari perspectum habeant.

50.

Synopsis Demonstrationis. 1.) Sensus naturæ est criterium veritatis (seu modus eam cognoscendi) peculiare (§. I. 31. 32.). 2.) Differt a demonstratione, quod per conceptus confusos intueatur veritatem clare quidem, sed non distincte, atque idcirco nec rapiat intellectum ad assensum (§. II.). 3.) In complicatioribus veritatibus cognoscendis errori obnoxius est (36.); sed tunc nimia sua obscuritate consensum communem hominum non parit (37.). 4.) In simplicioribus autem veritatibus, & ad prima principia propius accedentibus clarior est, atque facilior; atque idcirco communem consensum vulgo parit (39.); etsi non semper generalem (40.). 5.) Hic ipse consensus, ceu effectus, de existentia sensus naturæ similis etiam in iis nos certos reddit, ceu de sua caussa, qui, pauci respective, a ceteris pæne omnibus dissentiunt (40.). 6.) Porro consensus iste communis reipsa in movendo intellectu ad assensum vi homogenea cum auctoritate & testimonio authentico pollet (41.). 7.) Ut autem quantitas istarum virium movendi intellectum ponderetur, atque intelligatur, esse sufficiens ad veram certitudinem pariendam; probe distinguenda est *certitudo*, seu intuitus mere clarus, ab *evidentia*, seu intuitu distincto, rationis sufficientis veritatum (43. 44. n. 4.). 7.) Exponitur itaque distincte tota ratio *certitudinis physicæ*, quæ vulgo secundum omnes oritur ex uniformi experien-

perientia ſenſuum de ſimilibus conſequentibus eventis naturæ ex antecedentibus iisdem adjunctis naturalibus (45.). 8.) Oſtenditur deinde, æquale ex integro pondus communi hominum conſenſui, ex ipſo naturæ ſenſu exorto circa ſimpliciſſimas veritates, quæ maximi momenti ſunt, convenire ad movendum intellectum ad aſſenſum cum pari prorſus certitudine & firmitate (46. 47.); imo etiam cum certitudine phyſica teſtimonii præſentis ſenſuum externorum (48.). 9.) Denique oſtenditur exiſtere talem communem conſenſum hominum, ex ipſo naturæ ſenſu ortum, de exiſtentia DEI (49.), eumque parere ſimilem abſolutam certitudinem (50.).



